

mans, edixit ut deinceps festum Sancti Antonini episcopi confessoris ab universalis Ecclesia recolatur cum officio et missa jam concessis sub ritu duplici minori, contrariis non obstantibus quibuscumque.—Die 12 septembbris 1845.

---

DECRETUM DE FESTO PATROCINII SANCTI JOSEPH.

*Urbis et Orbis.*

Inclitus Patriarcha Joseph, quem Omnipotens Pater singularibus gratiis auxit, ac charismatibus cœlestibus cumulavit, ut Unigeniti filii sui putativus pater esset, ac verus sponsus Reginæ mundi et Dominæ Angelorum, tam sublimis electionis partes omnes, muniaque tam perfectè explevit, ut boni fidelisque servi encomium meruerit et præmia. Etenim memor semper præcellentis dignitatis suæ ac sanctitatis nobilium officiorum queis a divina sapientia præfiebatur, ipsius Dei consiliis et voluntati, alacritate propemodum inenarrabili, in omnibus indesinenter paruit, placensque Deo factus est et dilectus, donec gloria et honore coronatus in cœlis novum susciperet officium, nimirum ut copiosis meritis et orationis suffragio miserrimæ subvenerit hominum conditioni, atque validissima intercessione quæ possilitas humana obtinere nequit, mundo impetraret. Hinc passim misericors veneratur ad Deum mediator, efficaxque patronus, ejusque Patrocinii festum cum officio ac missa longè latèque instituitur dominica tertia quæ à Paschalibus gaudiis occurrit. Verum quod unum exoptandum supererat, nimirum ut officium Patrocinii Sancti Joseph de præcepto ad universalem extenderetur Ecclesiam, id Emus. et Rmus. Dominus Cardinalis Constantinus Pâtrizi, à Sanctissimo Domino nostro Pio IX, humilibus precibus, proprio et aliorum Sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinalium ac quamplurium etiam exterorum fidelium nomine porrectis, enixè imploravit. Quas quidem preces apprimè conformes singulari pietati sua erga Sanctum Josephum, apostolica benignitate exci-